Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



adorem et illic tandem celesti re-
pletus iubilo eterne exultacionis
exclamem cum diligentibus te dicens
Ecce quod concupivi iam video quod
speravi iam teneo quod desideravi
iam video Illi namque in celis iunctus
sum quem in terris positus tota
virtute dilexi tota caritate e-
amplexatus sum toto amore in-
hesi Ipsum laudo benedico atque ad-
oro qui vivit et regnat deus
per omnia secula seculorum Amen

Explicit Tractatus beati
Augustini de contemplatione
et amore dei qui orando et
meditando dici debet Deo gratias

Incipit libellus qui dicitur speculum
sancte Trinitatis
Augustini Alias
dicitur manuale beati
Augustini

Adesto michi verum
lumen deus pater omnipotens adesto
michi verum lumen de lumine ver-
bum filius dei deus omnipotens adesto
michi vera illuminacio sancte spiritus
patris et filii unitas sanctitas caritas
deus omnipotens adesto michi o una
trinitas pater et filius et spiritus sanctus
unus deus omnipotens ¶ Invocat te domine
deus meus fides mea quam dedisti
michi propter bonitatem tuam ad salu-
tem meam ¶ Invocat te domine
deus meus casta conscientia mea et sua-
vis amor fidei mee quam discussis
ignorancie tenebris ad veritatis in-
telligentiam perduxisti quam stulta
seculari amaritudine ablata et
tue caritatis dulcedine adhibita
saporosam michi et mellifluam
reddidisti ¶ Invocat te trinitas
beata nox clara et sincerus amor
fidei mee quam ab ipsis michi enu-
triens cunabulis illuminasti semper
per inspiracionem tue gracie quam
adaugens confirmasti me per miste-
rium sancte matris ecclesie ¶ Quam dulcis
facta est in ore cordis mei quam
suaviter sapit in ipso palato gau-
diorum anime mee quam fortiter quam
crebro pulsat mentem meam et re-
fovet monens omnes sensus meos
et interiora spiritus mei ut te laudare